



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Isagoge Ad Amorem Divinvm

Pennequin, Pierre

Antverpiae, 1661

§. 3. Imitandi Apostoli in humiliationibus sectandis & amplectendis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47132](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47132)

geminantibus deprecatus est, & ab eorum capitibus caeleste fulmen avertit, latroni regni societatem promisit: & quorsum hæc omnia? *Exemplum*, inquit, *dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis*: & hoc unum, quasi cæterorum documentorum caput à me vos dicere volui; quia mitis sum & humilis corde.

§. 3,

Imitandi Apostoli in humi-
liationibus sectandis &
amplectendis.

7.
Et Apo-
stoli.
I. c. 4.

Verba S. Pauli omnium quasi Apostolorum nomine prolata meritò pensulatè consideranda sunt, ut quæ ad materiam, qua de agimus, summopere facere videantur: ita Corinthiis scribit: *Tanquam purgamenta hujus mundi facti sumus omnium peripsima usque adhuc*. Singula verba quæso mecum pondera. *Facti sumus*, inquit, Dei scilicet voluntate, qui nos ad virtutum culmen, cælique honores, per hujusmodi humiliatum salebras ire voluit. Neque facti sumus apud unum aliquem, aut etiam aliquam hominum multitudinem; sed omnium apud summos & infimos, notos & ignotos, apud eos, quos beneficius ultrò obstrinximus; temerè

& sine causâ. *Tanquam purgamenta hujus mundi, & peripsima*: hoc est, tanquam sordes, quæ absteruntur ab ea re quæ circumcirca mundatur & abraditur tanquam excrementa & fæces, & colluvies generis humani; mortalium omnium contemptissimi, & abjectissimi, dignique habiti, qui ab hominum consortio expungamur & ejiciamur. Sed quomodo tantam abjectionem tulerunt Apostoli? hoc opus, hic labor est.

Tres gradus te facere oportet, antequam ad tam perfectæ humilitatis culmen evadas. 1. Est, ut tamen ad primum vituperij assultum commovearis, & inflatum vulnus multum sentias; rem tamen totam silentio concoquas, nec apud aliquem te exoneris, & conquerendo solatium emendices. 2. Est, ut primò utcumque concussus statim ad te redeas, Deo pro humiliatione gratias agas, & pro contemptûs auctore remunerationem & gratiam aliquam brevi mentis elevatione depreceris. 3. Vero & sedato, tranquilloque animo contemptum excipias, tibi quasi de accepto beneficio gratuleris, auctorem pro benefactore recognoscas, utque iste contemptus ad plures propagetur si sine Dei offensa fieri possit, desideres, & à Deo petas, hoc totum in lucro reponas, & Deo gratias,

8.
Tres ad
perfectam
humilitatem
gradus.

Mo-
cum
den-
gata
ma-
not

Mo-
latu
effe-
inje-

Co-
tum
del-
am-
pro-
tor-
tisi-
ne.

gratus, tibi de similibus eventis congratuleris.

9. *Modi ad eum tenendi cogitare bona à Deo, mala à nobis esse.* Atque ut ad hanc perfectionem attingas, poterunt tibi frequentia subsidia esse. Primò considera in te bona & mala reperiri, & bona quidem tam naturalia, quam quæ naturæ vires excedūt, à Deo profluere, eumque velut parentem & auctorem agnoscere; mala autem & præsertim vitia, tua esse, & ad te vnicè pertinere: ut proinde, te quasi vitiorum fætentem sentinam, aut cloacam aspiciere debeas: cumque vitio dedecus, contemptio, & vituperium adhærescant; tibi etiam hæc omnia deberi certò persuasum habeas, si à veritate, quæ Deo est acceptissima, tantisper exorbitare nolis.

10. *Hominis laudem esse Dei injuriam.* 2. Hinc etiam efficitur, cum laudaris, contra justitiam peccari, cum id in te laudetur quod Dei est, non tuum, & nescio quod latrocinij genus committatur.

3. Diffiteri non potes, Deum iustum esse, & virtuti præmium, vitio verò pœnam necessariò rependere: tu ergò cum totus ex vitijs conflatus sis, vel in hac vitâ, vel in alterâ, ex justitia puniendus es, vide an non fatius utilisque tibi sit, ab hominibus hæc despici, conculcari, & omni opprobriorum genere denigrari, quam ad alteram vitam hæc om-

nia differri; cumque Deum prius eligere, & te hæc omnibus ludibrijs, & abjectionibus castigare conspicias, & gratias habe, & has humiliations pro beneficijs accipe.

4. Spiritus sanctus in sacris paginis ad nostri despicientiam nos hortatur, hoc Evangelia nobis persuadere conantur, hoc Apostoli Petrus & Paulus in suis Epistolis inculcant. Medicis peritis, qui morborum nostrorum remedia suggerunt, fidem habemus; malorum nostrorum ferè maximum est superbia, eaque plerumque occulta, & nobis parum cognita; & quia contraria contrarijs curari solent, cælestes illi medici, despicientiæ amorem, & inter opprobria patientiam tanquam singulare contra superbiam antidotum suggerant; cur non illud cum gratiarum actione, & ambabus, ut ajunt, manibus accipimus?

Amare te Christum profiteris; ama ergo quod ille amavit: amor enim similes invenit, aut facit: ille cum posset aliâ viâ incedere, per medias contemptus & opprobriorum sordes, licet innocens & peccati omnis expers, ingredi voluit, & luto, quasi vestimento induit: omnes sibi amore amicitiaque conjunctos, ad idem iter invitavit: eum qui plurimum opprobriorum insignibus decoloratus appareret, inter sibi charissimos præ-

Ve antidotum contra superbiam.

II. Ve Christi dilectum.

cipuum locum habere voluit. An te inter illos numerari tibi gloriosum esse non censes? An non rogas? An non ardentibus desiderijs efflagitas?

12.
Si in faci-
mus, su-
mus dae-
monis af-
fectu.

6. Si despici, si vilis haberi refugis, si ad aliquem tui contemptum excandescis, & de vindictâ cogitas, meritò malè de te ominari debes, & inter Dæmonis affectas, qui caput est super omnes filios superbiæ, numerare; atque eandem, cum illo alijsque superbis castigationem pertimescere. Diabolus ob solam abjectionis & despicientiæ fugam è cælo in æternum exitum ruit; Adam ab eodem in ambitionis barathrum conjectus, de Paradiso voluptatis in ærumnas innumerales pessum abiit: cur tu eadem à tua superbia non times? te miror, quorum insaniam imitere, eorum exitus non perhorrescere. Heronem post partem ætatis in eremo cum virtute transactam superbiæ aurâ pestilente afflatum, atque ob id à Deo derelictum, per varia vitiorum genera volutatum, vix demum in fine pœnitentiæ anchoram invenisse legimus.

Exempla.

Alter Valens nomine, pluribus annis cum laude in solitudine cõsumptis, Dæmonis fallaciæ, sui nimia existimatione tumens, januam aperuit, & ab eo deceptus, ac in vitia præceps datus, vix tandem carcere inclusus, vinculisque

Idem.

constrictus, ac Religiosorum adjutus precibus, post annum resipuit. Sed maxime formidabilis est Heronis miserandus exitus, qui cum in summa abstinentiâ, & orationis assiduitate, cæterarumque virtutû studio quinquaginta duos annos exegisset, de se præsumens, suoque præfidens judicio, à Dæmone illusus, angelorumque ministerio sustentandum ratus, in altissimum puteum se præcipitem dedit, & membris omnibus luxatus, triduo, nullo pœnitentiæ, aut resipiscentiæ argumento, miserabiliter obiit.

Cassianus
coll. 2. 16.

§. 4.

Ob Humilitatis defectum gratiarum fluentia impediri.

IN hac assertionem conveniunt Sancti Patres: Quid est, inquit S. Bernardus, quod incessanter orantes & supplicantes non possumus ad eam, quam desideramus, gratiæ abundantiam pervenire? Putatis quia avarus factus est Deus, aut inops, aut impotens, aut inexorabilis? absit hoc, absit; sed ipse cognovit figmentum nostrum: ne forte, ut antè dixit, elationis vitium incurramus, sicut enim iste corporeus sol, licet bonus sit & valde necessarius, ta-

13.
Superbia
gratias
impedit.
Hom. 4. 16.
P. 16. 16.
Sui habi-
tat.